

competens agricolæ, alia negotiatori, alia militari, alia legisperito, alia clero, etc. Hæc jugiter advertere debent magistri.

2º Captui eorum proportionatam et convenienti modo expositam. Si enim proponatur candidatis scientia nimis ardua, intellectui eorum improportionata, animi ipsorum obruentur, studium fastidient, exhorrescent, nihil percipient neque discent. Unde doctiores non semper meliores sunt magistri, sed qui clarius loquuntur et diligentius student se audientium captui accommodare.

Sæpe magistri incapaces vel officium suum negligentes, contra justitiam peccant, et ad restitutionem tenentur, ut in Tractatu de Restitutione ostendimus.

De discipulis.

Præcipua discipulorum et studentium officia sunt virtutem sectari, scholas frequentare, magistros revereri, eos cum animo docili audire, et diligenter studio incumbere.

1º Virtutem sectari. Bonum est enim viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, Thr. III, 27. Adolescentis juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea, Prov. xxii, 6. Tota moralis existentia in hac vita et salus aeterna generaliter pendent a primis adolescentiæ annis. Si hoc adverterent et bene intelligerent juvenes, quanto zelo vitia fugerent et virtutes excolerent!

2º Scholas frequentare; non nisi enim arduo labore et longa assiduitate scientiæ et artes ediscuntur. Unde juvenes negligenter studentes, scholas facile omittentes, valde sibi nocent: prima scientiæ principia ignorantes vel imperfecte scientes, alias partes difficilius acquirunt, frequenter nunquam ediscunt, et dum eminere potuissent si debito modo laborassent, infimum et quandoque ignominiosum locum semper tenent.

3º Magistros revereri; cuilibet namque superiori aliqua ab inferioribus debetur reverentia conditioni proportionata: porro magistri superiorem tenent locum respectu

discipulorum; parentes suam auctoritatem eis delegant, liberos suos sollicitudini eorum committendo: ergo discipuli magistros sicut parentes revereri et honorare debent. Peccant igitur, et sæpe graviter, eis detrahendo, irridendo, subsannando, eos maledictis, calumniis, molestiis affiendo, etc.

4º Eos cum anima docili audire. Indocilitas enim præsumptionem et nimiam proprio sensui adhæsionem redollet; vanas disputationes, murmura, scandalū inducit, quod vera ac utili scientiæ prorsus est oppositum, juvenem reddit arroganter, et sæpe in damnabiles errores projicit.

5º Diligenter studio incumbere. Patet ex dictis n. 2; negligenter enim in studendo multa invehit peccata contra Deum, contra parentes, contra Ecclesiam et contra societatem. Sola temporis jactura, cum ad certam excrevit quantitatem, quæ facile definiri non potest, constituit peccatum mortale; et insuper culpæ e tali negligenter deinceps securæ, quæ in causa prævideri potuerunt, imputabuntur donec causa sufficienter fuerit retractata et negligentia reparata; aut si reparari non possit, donec officium capacitati non proportionatum fuerit dimissum.

Plura hac de re jam diximus in Philosophia morali.

CAPUT QUINTUM.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Illud præceptum continetur in Exod. xx, 12, his verbis: *Non occides.* Quidquid noxiū est proximo in corpore, per hoc negativum præceptum prohibetur; omnia enim mala corporalia, ut pote ad destructionem vitæ tendentia, exprimuntur per occasionem quæ est summum vitæ corporalis malum, et vulgo appellatur homicidium, a verbis *homo* et *cædere*, quasi diceretur hominis cæsio. ||

Homicidium est *omnis violenta hominis occisio, ab alio homine facta, quocumque modo.* Potest esse justum vel injustum, voluntarium in se, voluntarium in causa, vel

omnino casuale : potest esse sui ipsius vel alterius occisio.
His notatis, dicemus 1º de sui ipsius occisione, seu de suici-
dio; 2º de occisione malefactoris; 3º de occisione agres-
soris; 4º de occisione innocentis; 5º de duello; 6º de bello;
et 7º de homicidio mere casuali.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SUI IPSIUS OCCISIONE, SEU DE SUICIDIO.

Ad sui occisionem pertinet sui ipsius mutilatio. De
utraque dicendum est.

De sui ipsius occisione.

Probavimus in Philosophia morali voluntariam sui ipsius
occisionem lege naturali esse prohibitam. Pauca hic adde-
mus.

Duplici modo aliquis se ipsum occidere potest, directe
scilicet, se ipsum, v. g., strangulando, gladio perfodiendo,
in aquam projiciendo, etc.; et indirecte, faciendo actionem
ex qua, præter intentionem, propria mors secutura
est.

1º Nunquam licet se ipsum directe occidere, idque con-
stat 1º ex fide : *S. Aug.*, enim Hæres. 69, inter hæreticos
recenset Circumcelliones qui insana feritate se ipsos occi-
debant, et alios utriusque sexus ad se occidendum induce-
bant; sic etiam, ut manifestum est omnibus, semper sensit
et docuit Ecclesia; 2º ex verbis, *Non occides*, quæ, cum
generalia sint, tam propriam quam aliorum occisionem
prohibent; 3º ex unanimi doctorum consensu; 4º ex ratio-
nibus in Philosophia expositis, quas hic iterum referre longius esset. Ergo. Hinc ad vitandum crudele supplicium aut
infame suspendium, se ipsum occidere aut venenum hau-
rire non licet, nec sui occisionem ab aliis faciendam man-
dare, ut fecit Saül, I Paral. x, 4. Contra vero se ipsum occi-
dere liceret ex jussu vel inspiratione Dei, qui *vita et mortis
habet potestatem*, Sap. xvi, 13. Sic excusantur Samson,
Eleazarus, Razias et plures qui honorantur ut martyres,

licet mortem sibi intulerint, quia præsumuntur ita egisse
ex divina inspiratione vel ex errore invincibili.

Supremæ auctoritati societatem aut populum regenti
Deus talem potestatem concedere sine dubio potuisset,
ut, ipsa jubente vel permittente, aliquis, v. g., reus ad
mortem damnatus, se ipsum occidere directe valeret. Sed
nihil probat hanc potestatem concessam fuisse; e contra,
universalis sententia hanc denegat, et revera, bono publico
nec necessarium nec utile erat quod tanta violentia naturæ
reluctanti inferretur.

2º Licet se ipsum indirecte occidere, id est ponere cau-
sam ex qua mors propria, præter intentionem, secutura
est, modo adsit ratio sufficiens et bonus intendatur effec-
tus : nam, ex principio *S. Thomæ* a nobis sæpe invocato
licet, ob rationem sufficientem, ponere causam in se bo-
nam duos habituram effectus, bonum intendendo et ma-
lum duntaxat permittendo. Ergo. Causa autem eo major
esse debet quo gravius est periculum mortis.

Hinc 1º card. *de Lugo*, *Lessius*, *Busenbaum*, *S. Ligori-
us*, et alii communiter docent militem posse et debere in
statione persistere, etsi moraliter certus sit se occidendum
esse; pulverem bellicum incendere ad evertendam turrim
hostilem, sciens se obruendum, navem mergere vel incen-
dere, ne hostes illam cum magno reipublicæ detimento
cipient; quemcumque posse telo vel ictui se obficere ad
servandam vitam principis, vices amici ad mortem injuste
damnati subire, in naufragio tabulam alteri cedere, non
tamen se projiciendo in mare, quia directe se occideret;
peste infectis servire, ad fugiendum incendium se ex alto
præcipitem dare, etc.

2º Virgini vel honestæ matronæ licet permettere se ab
invasore occidi, potius quam violari; reo non fugere vel
etiam judici plectendum se sistere, quamvis directe se peri-
mere non possit, etiamsi id judices præcipierent: communi-
ter tamen docetur reum posse scalam ascendere, collum
instrumento mortis præbere, quia illæ actiones non in-
fluent directe in mortem; sed miles per catapultas occi-
dendus explosionem jubere non potest. Similiter plures

apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 369, merito docent mortaliter peccare qui venenum hauriunt vel a viperā se morderi patiuntur, ad experiendum antidotum, nisi judicio peritorum vel experientia constet se probabile mortis periculum non incurere; idem dicendum esse volunt de ambulantibus et saltantibus in fune ex altis suspenso, si probabili mortis periculo sese exponant.

3º Excusantur artifices qui super aedificiorum tecta ascendunt et variis periculis ob finem artis suæ exponuntur; fabriferrarii qui, fere in medio ignis laborando, vitam sibi evidenter minuant, et multi alii qui, ex similibus causis, idem faciunt. Contra vero nulla ratione excusari possunt audaces qui, ex temeraria sponsione et vana gloria, in varia discrimina se conjiciunt, in altum ascendendo, in aquam immersendo, onera ferendo, etc.

4º Pariter excusantur et laudabiliter agunt qui, ex amore penitentiae, ex desiderio Deo placendi, abstinentia, jejunio, vigiliis aliquisque macerationibus discretis carnem affligunt. At qui, advertens vitam iis mediis notabiliter minui, nihilominus continuaret, graviter peccaret, juxta *Layman*, *Busenbaum*, *S. Ligorium*, etc., quamvis multi ob bonam fidem et zelum placandi Deo ac perfectius virtutem colendi per penitentiae mortificationisque opera, excusentur.

Cæterum qui ex prudentibus consiliis religionem approbatam professi sunt, illius constitutiones et regulas tuto sequuntur et etiam sequi tenentur, quamvis prævideant vitam inde abbreviandam esse, vel dispensationem a summo Pontifice obtinere debent; quia bonum ordinis id postulat, et sic agentes abbreviationem vitæ permittunt, non vero eam directe procurant. Unde omnes moraliter admittunt Carthusianum carnibus vesci non teneri ut vitam conservet, et multi dicunt eum, etiam graviter ægrotantem, illis uti non posse absque dispensatione, quia talis rigor judicatur necessarius ad vigorem instituti conservandum.

5º Excusantur qui vitam servare non possunt, nisi extraordinaria et pretiosa adhibeant remedia fortunam suam superantia, vel longa et dispendiosa faciant itinera, aut

patriam deserant ut salubriorum inveniant aerem, vel operationem subeant nimis acerbam aut pudori valde oppositam, quia, in his casibus, remedium adhibendum judicatur moraliter impossibile, vel nimis onerosum ut quis illud adhibere teneatur. Hinc nemo obligatur pati amputationem cruris aut brachii, aut ventris incisionem ad extraheendum calculum, nisi bonum commune illius conservationem exigat. Ita *Sylvius*, *Collet*, *S. Ligorium*, etc. Idem videtur dicendum de pudica virgine quæ curari non posset nisi oculis et manibus chirurgi se objiciendo: id faciendo certe non peccaret, sed ad id non tenetur, nisi bonum commune id exigat, aut superiores jubeant.

De sui ipsius mutilatione.

Se ipsum, extra casum necessitatis, mutilare non licet, idque constat 1º ex diversis juris canonici partibus, in quibus irregularitas pro sui mutilatione, v. g., pro amputatione partis cuiuslibet digiti, statuitur; 2º ex ratione; homo enim non habet dominium in vitam suam, ergo nec in membra quorum integritas constituit vitam completam. Unde, in can. 22 Apostol., qui virilia sibi amputavit, vocatur *sui homicida*.

Verba autem Christi, *Si oculus tuus scandalizat te, eruc illum*, etc., sensu metaphorico intelligenda sunt, et significant occasiones peccati etiam oculis chariores et manu aut pede utiliores resecandas esse.

Hinc sola bona fide vel aliquo Spiritus sancti impulsu excusari possunt qui variis de causis se ipsos mutilaverunt, ut 1º *Origenes*, qui hæc Christi verba, Matt. xix, 12, *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ad litteram sumens, se ipsum eviravit; 2º *Ammonius*, qui referente *Sozomeno*, l. 6, cap. 30, auriculam sibi abscedit, ne episcopus fieret; 3º illæ moniales *Clarissæ* quæ, ne contaminarentur, faciem enormiter sibi deturparunt, etc.

Diximus extra casum necessitatis, quia, ex omnium consensu, pars corporis ad totum servandum corpus ab-

scindenda est; ei quippe subordinatur, et aliunde, perirent corpore, ipsa periret. Hinc licet amputare aut amputandum præbere membrum putridum, propriam abscindere manum aliquo vinculo detentam ad fugendum incendium, etc. Plures docent, apud *Collet*, licitum esse se ipsum ex jussu tyraanni mutilare ad vitandam mortem, quia, etiamsi tyraanus graviter peccet, se ipsum in eo casu mutilans, membrum prudenter donat ut totum conservet.

Petitur an liceat castrare pueros ad servandam in eis vocem dulcem?

R. Certum est eos sic mutilare invitos gravissimum esse peccatum injustitiae. At plurimi, apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 374, volunt hoc licitum esse, modo absit morale periculum vitae, et pueri ac parentes eorum non sint inviti. Rationes eorum sunt: 1º quia tales eunuchi bono communis sunt utiles, ad laudes Dei suavius canendas; 2º quia conditio eorum in melius notabiliter mutatur, cum per totam vitam convenientem obtineant sustentationem; 3º quia talis usus fuit frequens et ab Ecclesia toleratus.

Alii tamen probabilius et communissime negant, dicentes quod si se ipsum physice castrare non liceat pro bono animæ, ad vitandam scilicet incontinentiam, *a fortiori* id fieri non possit ob bonum temporale cuiusvis momenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

Waldenses olim negarunt licitum esse malefactores occidere, et quidem hodierni *philanthropi* contra paenam mortis in vindictam criminum apud omnes gentes usitam frequenter inclamat, contendentes alios esse modos sufficientes crimina societati noxia impediendi. Contra quos sint propositiones sequentes:

PROPOSITIO PRIMA.

Malefactores societati noxios occidere licet.

Prob. 1º *Scriptura sacra*. Exod. xxii, 18 : *Maleficos non patieris vivere*. Qui coierit cum jumento morte moriatur, Rom. xiii, 4 : *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat*. *Dei enim minister est*, vindicta in iram ei qui malum agit. *Pœna autem gladii est mors*: ergo. 2º *Universalis potestatis sacerdotalis praxi et Ecclesiæ consensu*. Semper enim et ubique pœna mortis a potestate sacerdotali pro gravibus criminibus fuit inficta, et Ecclesia principes sic agentes nunquam redarguit, sed, e contra, eos pluries laudavit tanquam justitiae ministros. 3º *Ratione*. Omnis pars ordinatur ad totum: at quælibet persona particularis est, respectu societatis, sicut pars relative ad totum, ut membrum ad corpus: ergo si communitati expedit ut abscindatur, qui curam habet communitatis eam abscindere seu interficere potest. Ergo.

Si ergo Deus dicat in Deut. xxxii, 39 : *Ego occidam et vivere faciam*; si de illo prædicetur, Sap. xvi, 13, quod vita et mortis habeat potestatem, intelligendum est eo sensu quod solus tales per se habeat potestatem, principes vero tanquam ipsius ministri et ex delegatione factum in lege positiva, *Maleficos non patieris vivere*, etc., tum in lege naturali, dictante partem amputandam esse ne totum pereat.

Notandum itaque hominem occidere non esse malum in se absolute, ut blasphemare, pejare, fornicari, mentiri, etc., sed tantum si id fiat absque legitima auctoritate.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sola auctoritate publica malefactores licet occidere; non vero auctoritate privata.

Prob. 1º *Scriptura sacra*. Deut. xxvii, 35 : *Mea est ultio et ego retribuam*, Rom. xii, 19 : *Mihi vindicta, et ego retribuam*. Mors est præcipua vindictæ pœna: ergo

solus Deus, per se vel per ministros suos, eam infligere potest. 2º *Ratione.* Malefactoris exterminatio ob solum communitatis bonum fit licita: ergo ad eum solum pertinet qui curam habet communitatis. 3º *Ex consectariis perversis oppositi principi.* Si enim quilibet privatus malefactores et sui inimicos licite occidere posset, omnia replerentur cædibus. Ergo.

Nomine publicæ auctoritatis ii soli intelligendi sunt qui presunt societati politice completæ, ut rex in regno, primi magistratus in republica, judices ab iis legitime constituti; hi enim habent jus, ex dictis, infligendi poenas delinquentem corrigentes, vel reum societati nocivum exterminandi; sed regulas legibus statutas stricte obligantur servare, in investigando crimen ejusque circumstan-tias, in interrogando accusatum, complices et testes, in decernendo et infligendo poenas; ab omni odio, ira, præjudicio aut præcipitatione sedulo cavere; et reis legitime convictis atque damnatis, ante executionem sententiæ, sufficiens concedere debent tempus ut confiteantur peccata et ad mortem se præparent, sicut expresse jussit concilium generale Viennense, tit. 9, de Pœnitentiis et remissionibus. At si damnatus ministerio sacerdotis uti recuset, nihilominus licite occiditur, quia tunc ipsius perditio ei soli tribuenda est.

Qui vero aliis presunt societatibus, quantumvis numerosis, sed non politicis completis, privatam tantum auctoritatem habere censemur, ac proinde personas sibi subjectas corrigerem possunt quidem per poenas delictis proportionatas et ad obtinendum finem sibi propositum efficaciores; non vero poenas pure vindicativas aut exterminantes, ut mutilationem et mortem, infligere queunt. Hinc si, ex art. 324 Codicis pœnalis, maritus interficiens uxorem adulteram et complicem in flagranti delicto in domo conjugali deprehensos, declaretur excusabilis, hoc intelligendum est eo sensu quod non puniendus sicut homicida, non vero eo sensu quod nullo modo peccaverit. Etenim, ex articulo 326, damnandus est pœna carceris ab uno ad quinque annos. Et aliunde, etsi leges civiles nul-

lam decernerent pœnam, insulse concluderetur nullum esse peccatum, ut communiter advertunt theologi, loquendo de antiquis legibus permittentibus patri occidere filiam et marito uxorem in flagranti delicto inventam. Unde Alexander VII sequentem damnavit propositionem: « Non peccat maritus propria auctoritate occidens uxori rem in adulterio deprehensam. »

Si autem legitima auctoritas in quibusdam rarissimis casibus unicuique permittat occidere malefactorem insinem, qui apprehendi non potest vivus, et diu vivere non potest absque gravi reipublicæ detimento, occisor propria non agit auctoritate, sed auctoritate publica sibi sicut aliis generaliter delegata. Eum vero qui per contumaciam ad mortem fuit damnatus sic occidere non licet, quia aliud est eum damnare, et aliud permittere ut unusquisque hanc sententiam exequatur.

Quæritur 1º an tyrannum occidere liceat?

R. Duplex distinguitur tyrannus, unus regiminis et alter regni: prior est legitimus princeps qui populum tyrannice regit et opprimit. Certum est eum occidere illicitum esse, quia verus est dominus; dominis autem etiam dyscolis obedire tenemur, ut docet B. Petrus, I Epist. 11, 18; et aliunde nulla esset securitas pro regibus et principibus, si unusquisque eos occidere posset, quando judicaret se ab illis injuste gravatum esse. Unde concil. Const., sess. 18, hanc propositionem: « Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassalum suum vel subditum, » declaravit, *præhabita deliberatione matura, erroneam in fide et moribus, eamque reprobavit et damnavit tanquam hæreticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, prodiciones, perjuria, vias dantem.*

Notant tamen auctores, inquit Billuart, posse rempublicam contra nimis insolentem tyrannum, congregatis regni comitiis, procedere, ipsum deponere aut occidendum præscribere, si aliter malo occurri non possit; quia princeps non habet auctoritatem in destructionem, sed in aedificationem et conservationem. Verum, cumi nœ malæ psa yran-

nide majora ingruere soleant, magis communiter expedit oppressionem patienter tolerare et ad Deum recurrere.

Tyrannum vero regni seu usurpationis, quandiu respublica in ejus dominationem non consensit, a quolibet privato licite occidi posse communis tenet sententia, quia talis usurpator non est princeps, sed publicus hostis et oppressor, bellum contra societatem gerens: quilibet ergo potest eum jure propriae defensionis, et tanquam a legitima auctoritate delegatus, impugnare et occidere, modo tamen 1º ille nullum certo habeat jus ad regnum, 2º non existat superior ad quem recursus haberi possit, 3º respublica occisioni ejus non contradicat, 4º ex occisione ejus fundata tranquillitas speretur et non potius majora mala timeantur, ut saepe accidit: *quapropter, ut ait Billuart, raro consultum est tali remedio uti.*

Quæritur 2º an clericus, jurisdictionem temporalem habens, malefactores occidere vel ad mortem aut mutilationem eorum directe concurrere possit.

R. negative; quia in Decretal., l. 3, tit. 50, cap. 5 et 9, quilibet sententia sanguinis omnibus clericis, praesertim iis qui in sacris Ordinibus sunt constituti, expresse prohibetur. Debet ergo constituere judices ad causas sanguinis discutiendas et judicandas; eos quidem monere potest ipsique præcipere ut de tali causa diligenter inquirant, et quod justum eis videbitur faciant; sed nullo scripto, facto aut verbo judices movere potest ad mortem aut mutilationem infligendam, nec sententiae aut executioni ejus præsens esse.

Summus autem Pontifex ab hujusmodi prohibitione, quæ jure canonico tantum fuit inducta, dispensare posset et permittere ut clericus, jurisdictionem temporalem exercens, eadem polleret auctoritate ac principes sæculares; verum hoc sanctissimo ejus ministerio non congruit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OCCISIONE AGGRESSORIS.

Multiplex distingui potest aggressor, scilicet vita, bono-

rum fortunæ, pudicitiæ et honoris: de iis seorsim paucis verbis dicturi sumus.

Aggressor potest esse justus vel injustus: de justo aggressore non agitur; eum quippe occidere, mutilare aut percutere non licet, quia repugnat dare jura juribus opposita. Unde juste damnatus ad poenam contra justitiae ministros, ut lictores, testes, judices, carnifices, se defendere non potest, eos percutiendo, mutilando, etc.

De injusto vitæ aggressore.

Plures volunt injustum aggressorem nunquam licite occidi posse, quia mala non sunt facienda ut eveniant bona; ipsos inimicos diligere debemus, ex mandato Christi, et vitam temporalem pro servanda vita aeterna proximi effundere parati esse tenemur. Alii vero nunc communissime contraria admittunt sententiam, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Qui propriam vitam aliter defendere nequit, injustum aggressorem occidere potest.

Prob. Scriptura sacra, jure canonico, testimoniis SS. Patrum, et ratione.

1º Scriptura sacra. Exod. xxii, 2: *Si effringens fur domum sive effodiens fuerit inventus, et accepto vulnere, mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Unde sic: Qui occidit surem domum nocte effringentem, ab homicidio excusatur; non vero si hoc die faceret; quare? Certe, ut ait S. Aug. in Exod., l. 2, quæst. 84, 1ª part., quia « poterat discerni quod ad furandum, non occidendum, venisset. » Ergo 1º.

2º Jure canonico. In Decretal., l. 5, tit. 12, de Homicidio voluntario, cap. 3, referuntur textus citati Exodi et S. Aug., deinde, cap. 18, Innocentius III dicit: « Quamvis » vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittant, » quia tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae » tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam

» propulsandam , etc. » In eodem lib., tit. 39 , cap. 3 , Alexander III idem docet et iisdem ferme verbis , dicens etiam , « cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant. » Item concilium generale Viennense , sub Clemente V celebratum, et in Clement., l. 5, tit. 4, cap. unico , relatum , loquens de iis qui , inculpabiliter occidentes vel mutilantes , irregularitatem non incurunt , ait : « Idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens , suum occidit vel mutilat invasorem. » Ergo 2°.

3° *Testimonii Patrum* , nempe S. Aug. jam citati , S. Ambr. de Officiis , l. 1, cap. 36 , et aliorum qui citari possent. Ergo 3°.

4° *Ratione*. Alios enim sicut nosmetipsos diligere tenemur , sed non plus quam nosmetipsos : at injustum aggressorem plus quam nosmetipsos diligere mus si potius occidi quam eum occidere eligeremus. Ergo 1°.

Nec obstat 1° præceptum , *Non occides* , nam , juxta sensum in omnium cordibus inscriptum , dicendum est Deum hanc exceptionem statuisse ; 2° nec ordo charitatis : si enim injustus aggressor in altera vita puniendus sit , id ex sola ejus malitia procedet , non autem præcise ex morte ab aggresso ad suam propriam defensionem ipsi illata. Aliunde quanta mala societatem invaderent , si injusti aggressores persuasum haberent se occidi liceat non posse !

Diximus in propositione , *qui propriam vitam aliter defendere nequit* ; omnes quippe , cum S. Thoma , requirunt ut mors non inferatur , nisi servato moderamine *in culpa tæ tutelæ*. Moderamen autem inculpate tutelæ ab omnibus requisitum plures importat conditiones , nempe :

1° *Ut aggressio sit injusta* : reus enim occidere non potest eos qui tanquam ministri justitiae , titulares aut delegati , illum capere vel damnatum ultimo suppicio afficere tentant , quia juste illum aggreduntur et non dantur jura iuribus opposita. Nec etiam id facere posset innocens juridice damnatus , tum quia ministri justitiae , sententiam reputantes justam , jus habent eam exsequendi , tum quia ex permissione talis defensionis gravia sequerentur incommoda. An liceat occidere aggressorem , injustum quidem ,

sed ebrium , furiosum alioye modo usu rationis destitutum , examinabimus infra.

2° *Ut aggressio sit actualis* , alioquin non esset propria sui defensio , sed vis alteri illata. Hinc occidere non licet detractorem , calumniatorem , mortem solis minis intentantem , occasiones occidendi querentem , etc. Contra vero prævenire licet inimicum catapultam parantem , gladium evaginantem , quia moraliter aggreditur , et si exspectaretur donec primum dedisset ictum , defensio probabiliter jam non esset possibilis.

3° *Ut id tantum fiat quod ad tuendam vitam necessarium est*. Unde qui mortem vitare potest fugiendo , clamando , percutiendo , arma retundendo , vel excutiendo aut aggressorem vulnerando , eum occidere non debet. Nec pariter licitum est occidere aggressorem fugientem , viribus debilitatum , aut quovis modo ab aggressione vite cessantem. Vide inferius dicenda de *injusto honoris invasore*.

4° *Ut mors aggressoris non intendatur in se* , scilicet directe et tanquam finis proprie dictus , sed tantum ut medium propriæ defensioni necessarium ; nullus enim propria auctoritate alterum occidere potest , sed propria intendenda est defensio , bona et licita , ex qua , præter intentionem , sequitur alterius mors , et etiam saepe æterna ejus damnatio , quæ occidenti imputari non potest. Licet enim ponere causam ex se bonam duos habituram effectus , unum bonum et alterum malum , solum bonum intendendo et malum permittendo.

Notandum hanc præsentem doctrinam sic intelligendam esse ut quilibet invasus quemlibet injustum aggressorem licite possit occidere in legitima sui defensione ; charitas enim bene ordinata incipit a semetipso , et nullus , cæteris paribus , alterius vitam propriæ vitæ anteferre tenetur. Unde clericus sicut laicus in injusta aggressione se defendere potest adversus quemcumque aggredientem , sive inferiorem , sive superiorem , sive affinem , sive consanguineum , sive culpabiliter , sive inculpabiliter invadentem , sive invasus occasionem aggressioni dederit , v. g. , per calumniam , dicteria , adulterium , sive non , etc.

Ut probabile tamen docet *Billuart* invasum qui prudenter judicat se in malo statu non versari, mortem oppetere teneri potius quam se defendere cum occidente aggressoris in statu peccati mortalis constituti a quo tunc se expedire non potest, puta, quia est ebrius, furiosus, rabidus, etc.; tunc enim aggressor est in extrema necessitate, et invasus ei subvenire tenetur etiam cum detimento propriæ vitæ.

Nollemus contendere hoc esse de p̄cepto, sed procul dubio bonum est et opus virtutis valde commendandum: imo quilibet privatus, quamvis injustum aggressorem occidere possit, ad id tamen non tenetur, sed meritorie propriam daret vitam, exemplo Christi et martyrum, potius quam vitam alterius eripere et eum in æternam damnationem conjicere; secus dicendum, si homo publicus et ad bonum commune necessarius aut valde utilis esset: in eo casu vitam suam defendere teneretur.

Petitur an injustum vitæ proximi invasorem occidere liceat.

R. affirmative, quia proximum sicut nosmetipsos diligere debemus. *Ita communissime theologi*. Excipiunt nisi aggressor sit pater, mater, filius vel conjux, quia parentes, proxime consanguineos et affines plus diligere tenemur quam extraneos.

Petunt insuper theologi an sit obligatio injustum proximi invasorem occidere, et communiter negant; 1º quia uterque est proximus, et non est obligatio uni succurrenti cum pari alterius detimento; 2º quia injustus aggressor, ut pote peccati mortalis reus, æternaliter periret, ac proinde magis periclitatur; 3º adderemus, quia actus hominem occidendi graviter repugnat, et obligatio eum exercendi non facile est imponenda.

Talis tamen existeret obligatio si invasus esset pater, mater, filius, conjux aut aliis titulo speciali conjunctus; vel existens in peccato mortali a quo tunc liberari non potest, v. g., quia est ebrius, aut aliter ratione privatus; vel ad bonum commune necessarius, ut princeps, dux exercitus, episcopus, etc. In his ultimis casibus unusquisque privatus invasum defendere deberet cum evi-

denti propriae vitæ periculo, quia vita æterna proximi et bonum commune etiam temporali vita privati præstant.

De injusto bonorum fortunæ invasore.

1º Furem occidere non licet pro servandis aut recuperandis bonis parvi momenti; vita hominis talibus bonis evidenter præstat. *Ita omnes*, et ideo Innocentius XI sequentes damnavit propositiones, anno 1679: « Regula-» riter possum occidere furem pro conservatione unius » aurei. Non solum licitum est defendere defensione oc-» cisiva que actu possidemus, sed etiam ad quæ jus in-» choatum habemus et quæ nos possessuros speramus. » Sunt 31^a et 32^a; adhuc citari posset 33^a.

2º Similiter apud omnes constat furem licite occidi non posse etiam pro servandis aut recuperandis bonis magni momenti, si alia suppetat via ea retinendi, vel eorum restitutionem obtinendi, v. g., clamando, percutiendo, ad judices appellando, etc. Tunc enim proximus sine justa causa occideretur, *ut patet*. Imo nec in his casibus licite mutilaretur, propter eamdem rationem.

3º Quæstio est igitur an furem occidere liceat ad ser-» vanda vel recuperanda bona magni momenti, quæ aliter servari aut recuperari non possunt. Valde scinduntur theologi: *S. Antoninus*, et multi cum illo, inter quos *Suarez*, *Lessius*, *Sylvius*, *Covarruvias*, *Viva*, *Ferraris*, *S. Ligorius*, etc., contendunt id licitum esse; 1º quia hujusmodi bona ad vivendum secundum proprium statum necessaria sunt: unde si injustum vite aggressorem occidere liceat, et talium bonorum invasorem; 2º charitas exigit quidem ut bona altioris ordinis proximi in ne-cessitate extrema constituti bonis nostris inferioris ordi-» nis præferamus; non vero quando proximus periculo se sponte exponit, alioquin subverteretur ordo: perversi enim homines non furarentur apud improbos, quia eos formidarent, sed bonos Christianos impune spoliarent, per-» suasum habentes se ab illis occidi aut mutilari non posse.

Alii vero multi recentiores, ut *P. Antoine*, *Collet*, *Bil-*

luart qui dicit præcedentem opinionem antiquari et oppositam evasisse communiorem, theologus Romanus, *Ferraris* annotator, etc., negant quandoque licitum esse bona fortunæ cum occisione invasoris præservare: nituntur præcipue 1º textu Exodi, ubi qui occidit furem diuturnum dicitur reus sanguinis; 2º testimonio *S. Aug.* qui præfatum explicans textum, dicit eum qui occidit furem, orto sole, reum esse sanguinis, quia poterat discerni quod ad furandum et non occidendum veniret; 3º auctoritate juris canonici in quo resertur responsio Alexandri III, Decretal. I. 5, tit. 12, cap. 10, statuentis monachum qui furem vestium occiderat, irregularitatē et penitentiā subjiciendum esse, et dicentis: « *Expediebat* potius post tu-
» nicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam,
» quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis tam
» acriter in alios exardescere; » 4º præcedentibus propositionibus ab Innocentio XI damnatis; 5º auctoritate cleri Gallicani doctrinam contrariam fere expresse reprobantis anno 1700; 6º ratione, et præsertim quia vim vi repellere non licet, nisi *servato moderamine inculpatæ tutelæ*: at moderamen inculpatæ tutelæ non servatur nisi adsit propria inter rem quæ defenditur et vitam invasoris; securus eum occidere licet etiam pro uno aureo, pro uno fructu, quod est absurdum: ergo.

Attamen *S. Ligorius*, lib. 3, n. 383, affirmat priorem sententiam esse probabilissimam et communem.

De invasore pudicitiae.

Certum est puellam aut mulierem vi oppressam, pudicitiae suæ invasorem occidere nec graviter mutilare non posse, si aliter eum repellere possit, v. g., verberibus, unguibus, clamoribus, etc. *Ratio patet.*

At, supposito quod suam pudicitiam servare non possit nisi aggressorem occidendo vel graviter mutilando, plurimi nolunt id licitum esse; nam 1º hic casus nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in conciliis, nec in summorum Pontificum decretis a prohibitione generali, *Non*

occides, excipitur; 2º pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet: igitur invita voluntate amitti non potest: vita autem et præcipua membra invasoris præstant honore materialiter tantum offenso; 3º si invasor in tali casu occideretur, æternaliter periret: porro salus ejus æterna pudicitia materialiter spectata longe præstat: ergo, etc.

Alii vero multo plures et forte probabilius contrariam tenent opinionem, dicentes 1º pudicitiam etiam materialiter spectatam esse bonum præstantius bonis fortunæ; honestam mulierem malle omnibus bonis et saepè vita privari, quam turpiter pollui. Ergo, ut ait *S. Antoninus*, « si licet non solum se, sed et bona sua defendere, quare » etiam, ne pudicitiam amittat? » 2º Puella vi oppressa in maximo versatur periculo consentiendi actui libidinoso; si consentiret, graviter peccaret: ergo saluti suæ providere potest etiam *n*utilando et occidendo; judicabitur consensisse et manebit infamata si res fuerit nota: ergo, iuxta communiorem sensum, se defendere potest usque ad oppressoris mutilationem et occasionem; imo et debet periculo propriæ vitæ se exponere, si rationabiliter timeat se consensuram esse.

Prioris sententia patroni saltem fatentur bonam fidem sèpissime excusare posse puellam vel mulierem sic oppressam et invasorem occidentem.

De injusto honoris invasore.

Certum est 1º non licere, ob quamecumque injuriam vel contumeliam, aliquem occidere, v. g., quia homini honorato dicit: *Mentiris*; aliter enim injuria repelli aut reparari potest, et aliunde nullam habet proportionem cum alterius vita.

Certum est 2º aliquem licite occidi non posse ob injuriam ab eo acceptatam, ob calumniam factam, etc., quia tunc esset vindicta propria auctoritate illata, quæ semper est prohibita. Imo nec licitum est, ob eamdem rationem, reddere injuriam pro injuria, calumniam pro calunnia, alapam pro alapa, etc.

Certum est 3º detractorem, calumnatorem et injuriis affidentem occidere non licere in ipsomet actu detrahendi, calumniandi, etc.; quia malum jam est factum, et per occasionem detractoris, calumniatoris aut injurias inferentis non repararetur: mera igitur esset vindicta.

Certum est 4º non licere eum morte vel mutilatione prævenire qui parat injuriam, calumniam, falsam accusationem aut sententiam, quia 1º aggressio non est actaulis; 2º via innumeris aperiretur cædibus; 3º proportio æqualitatis non servaretur; 4º sequens propositio fuit damnata ab Alexandro VII et clero Gallicano, in comitiis anni 1700: « Licet interdicere falsum accusatorem, » falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens dampnum evitare. » Ergo.

5º At si aggressor fustem vel alapam viro valde honesto impingere conaretur, et per solam occasionem repelliri posset, liceretne eum occidere, an fugiendum esset? Si turpe non esset fugere, certe fugiendum esset, quia sufficiens evidenter non existeret ratio vitam alterius eripiendi ad se defendendum. Si vero turpe esset fugere, v. g., viro nobili, officiali bellico, occisio esset licita, juxta Busenbaum, S. Ligorium et alios plures; alii autem communiter negant, et rectius, ut nobis videtur; quis enim serio dicet turpe esse Christiano etiam nobili vel officiali bellico fugere, præcise ut alium non occidat quem occidere posset? Fieri tamen potest ut in eo casu occidens bona fide a peccato excusetur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

Dicemus 1º de innocentibus in genere, et 2º de procuratione abortus.

De innocentibus in genere.

1º Si Deus, supremus vitæ et mortis dominus, præcipiat aliquem innocentem occidi, procul dubio ipsi obtene-

perandum est, ut omnes fateri coguntur. Hinc Abraham licite occidisset Isaac, parvuli urbis Jericho licite occisi sunt ab Israelitis, Jos. vi, 21, et septuaginta filii Achab a viris Samariæ. IV Reg. v.

2º Nunquam licet innocentem directe et ex intentione occidere, quia 1º prohibitio Dei in Exod. xxiii, 7: *Insontem et justum non occides*, est generalis: 2º quia nihil ostendit Deum, vitæ et mortis supremum dominum, mortem innocentis directe volitam permisisse. Permisit quidem malefactoris occasionem, et ratio hujus permissionis patet: sed præsumi non potest eum permisisse ut occiderentur innocentes, qui sunt principalior et dignior pars societatis. Ergo. Hinc 1º graviter vulnerati et alii cum morte luctantes occidi non possunt ne diutius patiantur, nec rabidi ne aliis noceant: 2º innocens cuius tyrannus petit caput ut conditionem non subvertendi urbem, trucidari non potest, etiamsi consentiret, quia fieret malum ut eveniret bonum; sed mitti potest etiam invitus ad tyrannum qui eum petit, et consentire tenetur pro bono publico; si non consentiat, fit reus, et princeps vel respublica jure suo utitur eum mittendo, atque manifesto pereundi obiciendo periculo: ratio est, quia actio eum tradendi non est mala in se; mors quippe ex hac traditione non sequitur necessario, sed ex mala tyranni voluntate. *Ita communiter auctores.*

3º Licet, ob gravem causam, ponere actionem in se bonam ex qua, præter intentionem, sequitur mors innocentis; nam, ut sæpe diximus, licet ponere causam duos immediate habituram effectus, unum bonum et alterum malum, solum bonum intendendo, et malum permittendo, modo adsit ratio sufficiens malo effectui secuturo proportionata. Ergo. Unde 1º in bello justo licet occidere innocentibus cum nocentibus, si victoria aliter obtineri non possit; 2º qui equo vel curru ascensus hostem aliter fugere non potest, nisi conculcando in via angusta claudum, dormientem, infantem baptizatum, etc., ab homicidio excusat; 3º card. de Lugo, Busenbaum et alii excipiunt causum in quo conterendus esset infans non baptizatus, quia